Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26152
Copyright: Admont, Benediktinerstift

55 tule dilexerunt te. traxerunt te. post te in odore un
5 guentorum tuorum curremus. Historica quidem expositio. eadem
que in superioribus percurrit in presenti loco. donec fiat ali
qua commutatio personarum. ita quippe ordo dramatis qui
in hac expositione a nobis receptus est poscit. Potest sane
in his prophetia quedam videri ex persona sponse prolata
de Christo. quod futurum esset ut adventu domini et salvatoris nostri.
nomen eius ita per orbem terre. et per universum mundum diffunde
retur. ut fieret odor suavitatis in omni loco. sic apostolus dicit.
quia Christi bonus odor sumus in omni loco. aliis quidem odor ex
morte in mortem. aliis autem odor de vita in vitam. Si enim
odor vite fuisset in vitam omnibus; dixisset utique hic. et
omnes dilexerunt te. traxerunt te. Sed nunc autem ubi nomen tuum fac
tum est unguentum exinanitum. dilexerunt te. non ille ve
tuste ac veterem hominem indute anime neque rugas
habentes aut maculas. sed adolescentule in augmento
scilicet etatis et pulchritudinis posite anime. que
semper innovantur de die in diem. et renovantur novum se
induentes hominem. qui secundum deum creatus est. Propter istas
ergo animas adolescentulas et in augmentis vite ac profec
tibus positas. exinanivit se ille qui erat in forma dei.
ut fieret unguentum exinanitum nomen eius. ut non iam in inac
cessa luce tantummodo habitaret. et in verbo dei perma
neret. sed verbum caro fieret. quo possint iste adolescentule